



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De causa inter Deum, & hominem & diabolum. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

quod potuit, ut prius ageret, quod oportuit. Iustitia ergo humilitatis hominem liberauit, quem sola potentia æquissimè liberare potuit.

*De causa inter Deum & hominem, & diabolum.* B

Si enim tres illi in causam venirent, scil. Deus diabolus & homo: diabolus & homo quid aduersus Deum dicerent non haberent. Diabolus enim de iniuria Dei cõuinceretur: quia seruum eius, scil. hominem, & fraudulenter abduxit, & violenter tenuit. Homo etiam iniurius Deo conuinceretur: quia præcepta eius contempfit, & se alieno dominio mancipauit. De hominis iniuria cõuinceretur diabolus: quia & illum prius fallaci promissione decepit: & post mala inferendo læsit. Iniuste ergo diabolus, quantum ad se tenebatur hominè: sed homo iuste tenebatur, quia diabolus nunquam meruit potestatem habere super hominem, sed homo meruit per culpam pati diaboli tyrannidem. Si ergo Deus, qui vtrique præerat, potentia hominem liberare vellet, sola iussione virtute hominè potuit rectissimè liberare: sed ob causam præmissam iustitia humilitatis voluit. Qui dum in carne mortali crucifixus est, iustificati sumus, id est, per remissionem peccatorum eruti de potestate diaboli: & ita à Christo iustitia, diabolus victus est, non potentia. Quomodo autem in eius sanguine nobis peccata sunt dimissa, supra expositum est.

*De traditione Christi, qua facta dicitur à patre & à filio, à Iuda & à Iudæis.* C

*Esa. 53. b*  
*Rom. 8 f*  
*Ephes. 5. a*  
*Matth. 26. d*  
*Luc. 24. c*  
*August. ad*  
*versum vl-*  
*timū Ps. 93.*  
*Et reddet il-*  
*lis, tom. 8,*

Christus ergo est sacerdos, idemque & hostia precium nostræ reconciliationis: qui se in ara crucis nõ diabolo, sed Deo trinitati obtulit pro omnibus quantum ad pretij sufficiētiam: sed pro electis tantum, quantum ad efficaciam quia prædestinatis tantum salutem effecit. De quo & legitur, quod sit traditus à patre, & quod seipsum tradidit, & quod Iudas eum tradidit & Iudæi. Ipse se tradidit, quia sponte ad

palsio-